



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Exorcismus contra maleficia lacticianorum, & aliorum comestibilium,
frugum, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

EXORCISMVS contra maleficia lacticianorum, & aliorum comestibilium, frugum, &c.



*V*ANDO lac, butyrum, vel alia comestibilia maleficiata videntur, premisis iam dictis de familia constituenda in statu gratia, premitte Exorcista (si iudicet longiores Preces adhibendas) Litanias Sanctorum, prout supra habentur fol. 141. quibus subiunget sequentes Orationes, & reliqua.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui inter cetera dona clemencie tue, hominibus ad vsus varios vite mortalis, lactis substantiam largiri dignatus es: maiestatem tuam suppliciter deprecamur, vt lactis huius substantiam sic benedicere digneris, vt & seruis tuis feliciter & copiose proueniat, & quis illo deinde ad alimentum suum, vel ad aliam vite huius commoditatem vti voluerit, gratiam tuam & benedictionem sibi gaudeat adfuisse. Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, cui creaturarum tuarum bonitas placet, quiq; ex abundantia pietatis tue fideles per Prophetam tuum ad comedendum pinguia in-

Q 2

uitare

244 MANVALIS EXORCISMORVM
uitare dignatus es, atque inter alias creatu-
ras pinguedinis tuæ participes, butyro tan-
tam dignitatem tribuisti, vt non modò il-
lud hominibus omnis generis, sed vnigeni-
to etiam Filio tuo, pro salute nostra de pu-
rissima Virgine incarnato, in cibum & ali-
mentum seruire volueris: clemētiam tuam
humiliter imploramus, vt à substantia buty-
ri huius vim omnem fraudemque virulenti
hostis benignus auertas: nihil hīc nocu-
menti, nihil mortiferæ corruptionis inferre
præsumat; sed quod fidelibus tuis ad hu-
manæ indigentiaë remedium contulisti, in-
tegrum illis, iuuolatum ac incorruptum
seruetur, vt cū digna gratiarum actione
sumentes, vitæ suæ ac sanitati prodesse sen-
tiant ac lætentur. Per Christum Dominum
nostrum. *Resp.* Amen. Oremus.

OMnipotens & misericors Deus, qui
Sacerdotibus & ministris tuis, præ ce-
teris tantam gratiam conferre dignatus es,
vt quidquid in nomine tuo per eos agitur, à
te fieri credatur: quæsumus immensam cle-
mentiam tuam, vt quidquid ego, licet indi-
gnus, modò visito, visitare, quidquid bene-
dico ✠, benedicere digneris, & ad introi-
tum meæ humilitatis, omnium Sanctorum
tuorum meritis dæmones fugentur & ex-
pellantur ab hac domo, & ab his creaturis
tuis

tuis ad hominum vsum à te relictis & destinatis, cessent & tollantur omnes nequitiae & fascinationes eorum, & Angelus pacis & salutis hinc adfit, qui eos compescat, & hinc discedere cogat cum omnibus maleficiis. Per Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

Deinde legat Euangelium S. Ioannis, In principio erat Verbum. ut supra, fol. 202.

EXORCISMVS *pro lacte.*

ECce Crucem ✠ Domini, fugite partes aduersæ, vicit leo de tribu Iuda, radix Daud. Exorcizo te creatura lactis in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in nomine Iesu Christi ✠ filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti, vt fias lac exorcizatum in salutem fidelium, & sis omnibus ex te sumentibus sanitas animæ & corporis, & effugiat atque discedat à te nequitia omnis ac versutia diabolicæ fraudis, omnisque nocendi facultas in te omni modo per ministros satanicos introducta.

Alius EXORCISMVS.

EXorcizo te per illum qui sanctis Patribus, Abraham, Isaac, & Iacob, terram lacte & melle manantem repromisit, eandemque terram posteris eorum fideliter tradidit possidendam; ne eiusdem Dei & Domini nostri fidelibus seruis sis mali alicuius,